



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Manuale Exercitiorvm Spiritvalivm

Capilla, Andrés de

Coloniae, 1607

De Charitate proximi. Exercit. 70.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53232](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53232)

oblitum, in illo submergatur. Offeremus ei etiam ardentissimum amorem, quo Seraphim eum diligunt: desiderando eodem feruore quo ipsi, imo si fieri posset multo maiori, Deum amare.

## DE CHARITATE

proximi.

Exercit. 70.

*Ioann. 11. Hoc est præceptum meum, ut diligatis inuicem, sicut dilexi vos.*

*1. Ioann. 4. Si quis dixerit, quoniam diligo Deum, & fratrem suum oderit mendax est.*

*1. Ioann. 3. Nos scimus quoniam translatus sumus de morte ad vitam: quia diligimus fratres: qui non diligit manet in morte.*

*Consideratio.*

**C**onsiderabimus, quam seuerè præcipiat nobis Deus amorem proximi, atque inde conijciemus quantum placeat, ei idem.

idem amor: quantumque displiceat ei odium & inimicitia; quandoquidem vetat ne ad altare accedamus, nisi prius fratribus reconciliati fuerimus.

*Gratiarum actio.*

**G**Ratias agemus Deo, pro omnibus beneficiis quæ proximis nostris exhibet: proque omnibus donis, quæ illis communicat: & gaudebimus de illis non aliter ac de nostris: desiderabimus denique, vt Deus ea in ipsis conseruet & augeat.

*Confusio.*

**P**Vdore suffundemur, coram Domino: considerando quam sæpe ab hac charitate proximi quam nobis præceperat, discesserimus: cum tamen seuerissimo mandato amorem proximi violari vetuerit.

*Petitio.*

**R**Ogabimus Deum, vt nobis largiatur perfectam dilectionem proximi: vt eandem charitatem in proximos exerceamus: precabimur Deum vt omnibus necessitatibus,  
tum

tum corporalibus tum spiritualibus, singulorum medeatur: desiderando salutem & bonum omnium; ne abiectissimo quidem & miserrimo qui in mūdo sit, excepto; condonādo etiam illis omnem offensam sit quapiam in re nos offenderunt; Veniam denique postulabimus à Deo, si nos illum aliqua in re offendimus aut scandalizauimus, cum firmo proposito, ei, quomodo necessarium fuerit satisfaciendi.

*Oblatio.*

Offeremus nos Deo, ad agenda quęcunque possumus in proximorum necessitatibus subleuandis: desiderando cunctis subuenire: atque etiam si necessarium foret, vitam pro eorum salute profundere, quemadmodum Christus pro nobis eam expendit.

## DE HUMILITATE.

Exercit. 71.

1. Petr. 2. Humiliamini sub potenti manu Dei.